

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARVM

Disquisitio Decima quinta.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Salani

Rectore


Respondente

JACOBO HOFFMANNO

Lichtenbergâ Misnico

Dominica Sexagesima.

M. O. R. cl. lxx. iiii.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oet-

schlegelij



REVERENDO ADMODUM,
CLARISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO,


DN. CHRISTOPHORO
BULÆO SS. Theol. Do-
ctori, Præsulatus VVurzen-
sis Superintendenti dignissi-
mo, vigilantissimo, Fratri suo
uterino æternùm venerando

*In spem majorum fru-
ctuum,*

Has studiorum primitias

D. D. D.

Jacobus Hoffmannus
Respond.



ANALYSIS EVANGELII

Dominica Sexagesimæ

Luc. 8. à v. 4. usq; ad 15.

ANTELOGIUM.



MAGNUM est DEI beneficium annua terra fecundatio: quemadmodum sancti DEI homines predicant: potissimum Psaltes, Psal. 65. luxuriante stylo declarat, dum inquit: *Visitasti terram, & potasti eam, multiplicasti locupletare eam, coronas annum benignitate tuâ, & semita tua stilant pinguedine. Idem habetur Psal. 104. v. 13. Jer. 5. 44. Osee 2, 8. Majus tamen est divina benignitatis indicium, seminis cœlestis sparsio. Illud quippe pertinet tantum ad presens seculum; at hoc ad futurum sese extendit. Et tamen libenter usus est illô, ut hoc inculcaret. Etiam presens Evangelium utriusq; est testimonium.*

Z

THE.



THESES I.

IN quo de quadruplici seminis ratione docet, quare non semper etiam cœleste semen, licet in se bonum, fructificet. Habetur autem, tum ejus occasionis commemoratio, & est populi appropinquatio, v. 4. In quo causa impulsiva in genere populi conventus: Conveniente autem turba plurima. Quò ipsò docetur, non paucos, sed multos habuisse auditores. Et quidem non unius sententia turbam, inquit Hieronymus lib. 2. in Matth. cap. 3. Sed diversarum in singulis voluntatum. Quoties enim in Evangelio turbae vocabulum interseritur, tunc intimatur & hominum & voluntatum diversitas; Simulq; innuitur ardens ipsorum desiderium ad audiendum Evangelium; & ostenditur non novum esse, si pauci potentes & divites non intersint, quia, quod Augustinus habet super hoc Evangelium serm. 40. Principes quanto altiores, tanto difficiliore & segniores ad salubria.

2. In specie est locus, & secundum civitatem; è singulis civitatibus advenientibus. Ubi per Synecdochen Generis pro Specie intelliguntur civitates Galilææ. Estq; Singularis pro Plurali positus, dum καὶ πόλις idem denotat, ac Adverbium oppidatim. Non enim

enim omnes incole, sed ex singulis urbibus aliqui intelliguntur. Exinde verò colligitur, nostram etiam esse confluere ex singulis locis, ut audiamus Christum, quia, quod habet Gregorius Homil. 15. in Evangel. sermo ejus est cibus mentis.

3. Et docendi forma: Dixit per Parabolam, quia tanquam καρδιωγώσης optimè noverat, auditorum diversum propositum. Unde loquitur ad turbam multis parabolis, ut juxta varias voluntates, inquit Hieronymus diversas reciperent disciplinas: Et quia tales Syrorum Et Palestinorum sermones: plus enim, quod Augustinus dixit Epist. 109. ad Januarium, cap. 11. movere figuratè dictum, plus delectat, plus honoratur, quam si verbis propriis dicatur. Unde Gregorius monet, in expositione moralium lib. 30. in Jobum cap. 4. pro qualitate audientium formari debere sermonem doctorum, ut Et ad sua singulis congruat, Et tamen à communis adificationis arte nunquam recedat. Coram enim parvulis, inquit Idem lib. 17. cap. 14. tegenda est alta scientia, ne unde chorda scientia ad summum extendatur, inde infirmitas auditorum ad ima labatur. Dignum quippe est, qui pradi-
cat, audientis modum consideret. Quatenus

ipsa predicatio cum auditoris sui incrementis crescat. Predicare ergo rudibus non debet quantum cognoscit, quia & ipse de supernis mysteriis cognoscere non valet quanta sunt.

4. Parabolæ narratio, in quâ diversitas Objectorum describitur ratione terra, tum malæ simpliciter, estq; callosæ terra denotatio v. 5. In quo causa externa, ut efficiens: Exiit seminans. Quia in agricultura satio est quasi fundamentum, cum sine illâ nulla sequatur messis. Intelligitur verò, uti Articulus innuit, excellens quispiam, qui est ipse **CHRISTUS** seu **Filius DEI**, qui exiit ex sinu Patris sui abscondito, inquit Theophylactus in Matthæum & conspicuus factus est. Unde verò exiit qui ubiq; presens est? qualiter exiit, qui omnia replet? Certè non loco, sed habitatione & incarnationis dispensatione propinquus nobis factus est. Nam quia ad ipsum venire non poteramus, peccatorum materiâ ingressum prohibente, Ipse ad nos ingreditur, habet Chrysostomus Homil. 45. in Matthæum. Filius enim **DEI** non cessat semper seminare in animabus nostris. Noluit verò seipsum nominare, tum ut occasionem præberet, parabolam eò diligentius considerandi, tum ut innueret, se quidem esse seminatorem.

pri-

primarium, sed adhucdum seminare per doctores.

5. Finis : ad seminandum. Itaq, non ut agricolas occidat, vel agrum exurat, sed ut seminet, habet Theophylactus locô dictô. Interim, addit Chryostomus lib. Homil. 48. tu considera ineffabilem ejus misericordiam, & quod ad benefaciendum quidem pronus est, à desiderio autem vindictæ alienus. Ita seminavit in cor lapsi Adami promissum semen benedictionis Gen. 3. v. 15. In cor Noachi, Gen. 6. v. 13. In cor Abrahe Gen 17. v. 3.

6. Interna & per se: Semen suum. Non dixit semina, quia Israelitis DEVS mandaverat, ne diversis seminibus agrum conferebant. Levit. cap. 19. v. 19. Et suum dicit ad differentiam, dum Propheta & Apostoli quacunq, dixerunt, è Spiritu dixerunt, & non ut propria, inquit Theophylactus. Vnde & illi dixerunt: Hæc dicit DOMINVS. Sed CHRISTVS: Ego dico vobis. Ut discamus Christi Magisterium, & aliorum ministerium.

7. Ex Accidente, quoad Antecedens, ratione modi: & inter seminandum semen. Quò ostenditur sedulitas seminantis, dum egreditur, dum seminat, dum proprium semen spargit.

8. Ratione Subjecti : Aliud cecidit secus viam. Non verò datâ operâ, cùm nulus agricola sic desipiat, ut semen suum in viam spargat: neq; ipse sine ulla discretione semen verbi jacere præcepit, inquit Augustinus serm. 42. de Sanctis. Neq; enim dixit quòd projecit seminans, sed quòd illud ceciderit, inquit Theophylactus in Lucam. Non ergò seminantis causa, sed suscipientis materia terra culpa est, ait Chrysostomus homil. 15. Quin licet in agris stultè factum videretur, loquitur Chrysostomus dictò locò, tamen in animis probè, atq; laudabiliter in doctrina. Possibile enim est ut lapis in terrâ fertilem convertatur, & via non conculcetur, sed in uberes agros traducta. Ut doceamur, ad terram tandem bonam perventurum semen nostrum, habet Augustinus de cultura agri Dominici cap. 2. Ut discamus, pergendum esse in officio, licet ignoremus, quomodo cuncta cadant.

9. Consequens est : & conculcatum est. Cùm scilicet in viâ fuerit. Conculcatur verò ab hominibus non curantibus, sed in mundanis negotiis hinc inde obambulantibus.

10. Et volucres cœli comederunt illud. Per quas metaphoricè, uti in sequentibus patet,

ret,

eet, Diaboli intelliguntur. Inde lectio huius Ev-
 angelii, etiam ex Gregorii sententia Homil.
 15. expositione non indiget, sed admonitione.
 Quam enim semetipsam ipsam veritas expo-
 suit, hanc discutere humana fragilitas malè
 præsumat. Ut discamus boni esse doctoris non
 in persuasoriis humana sapientie verbis, sed
 in ostensione Spiritus & potentie gloriari,
 1. Cor. 2. v. 4. Qui ergò docet, vitabit omnia
 verba, quæ non docent, inquit Augustinus de
 doctrina Christiana cap. 10. Quid enim
 prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus,
 non potest? Aut quid obest lignea, si hoc pot-
 est, quando nihil querimus, nisi patere quod
 clausum est. Qui verò caninam affectant fa-
 cundiam, uti Isidorus habet lib. 3. de sum-
 mo Bono cap. 60. quibusq; nullus in dicendo
 sermo sapit, nisi Grammaticè fuerit conceptus,
 Dialecticè imaginatus, Rhetoricè purpuratus,
 uti habet Augustinus in Speculo peccatorum
 cap. 6. Histrionem potius agunt, quam Docto-
 rem. Et de Marcionitis scribit August. cap.
 4. v. 11. quod verbis usi sint sesquipedalibus.

II. Secundùm quid, est tum terræ la-
 pidosæ denominatio vers. 11. 6. in quo nota:
 Subjectum: & aliud cecidit suprâ petram.
 Uti solet interdum in agris reperiri, petrosa
 sive saxosa terra. Non enim similis est.

12. Et eventum per assertionem: & natum exaruit. Testis est experientia, quod quidem celerrimè nascatur, sed ad primum calorem Solis, dum radij colliguntur & reverberantur, facile exarescat.

13. Et per rationem, à negatione causæ adjuvantis: quia non habebat humorem. Ut qui partim petra negatur, partim etiam à calore Solis facile exsiccatur.

14. Et spinosæ terræ, ex qua seminis suffocatio, v. 7. In quo iterum subjectum: & aliud cecidit in medio spinatum. Rarò quippe ita purus est ager, ut nihil horum, vel maxime si magnus inveniatur: diciturq; ἐν μέσῳ pro eis μέσον τῶν ἀκανθῶν seu τοῖς ἀκάνθοις.

15. Et Eventum per effectum nativum: & simul enatæ spinæ. Solent quippe illæ aequè crescere per naturam, uti alia semina per curam.

16. Et destructivum: suffocaverunt illud. Spinæ succum terræ præripiunt, & densitate suâ calorem Solis avertunt, aculeis suis semen undiq; pungunt, ut crescere & ad justam maturitatem fructus pervenire non possint. Ita CHRISTVS docere voluit Doctoris esse, non timere difficiliore terras, etsi plures

eorum, qui predicationem accipiunt, perdantur, cum id etiam in Domino & Magistro pariter factum. Neq; tamen ipse, quamvis ita futurum non ignoraret, semina proijcere neglexit, habet Chrysostomus Homil. 45.

17. Tūm est terræ bonæ fructificatio. v. 8. In quo problematicè respectu Objecti: & aliud cecidit in terram bonam. Hoc est: benè excultam & preparatam, illa enim bona appellari potest. Ut discant doctores curare animam, terram uti solent agricola: neq; enim intermittendum est quod postulat officium.

18. Quoad effectum antecedentem: & enatum. Quia terra bona fuit: & consequentem: fecit fructum centuplum. Non quidem, quemadmodum Matthæus & Marcus habent, in omnibus, dum aliud trigecuplū, aliud sexagecuplum fecit, sed in quibusdam. Quemadmodum etiam in terra Canaan Isaac dicitur lucratus fructum centuplum Gen. 26 v. 12.

19. Epiphonematicè quoad conditionem per effectum: Hæc dicens clamabat. Surdos enim quàm multos Dominus intuebatur, non sine corporis auribus. Quas ergo alias aures, nisi interioris hominis requirebat? habet Augustin. serm. 18. de verbo Domini.

Vt discamus, si velimus docere, vocem esse extollendam, & esse clamandum, & non murmurandum, quod invidi operarii fecerunt.

20. Et adhortationem: Qui habet aures audiendi, audiat. Dominus quidem cum iis loquebatur, qui carnales aures apertas habebant, & dicebat tamen; Qui habet aures audiendi audiat, ut mysticum esse doceret, & attentius querendum innueret, quemadmodum etiam alibi hoc Epiphonemate usus, Matth. 13. v. 13. Marci 17. v. 16. Lucæ 14. v. 35. Et licet vel duodecies hæc vox repetita sit, nullibi tamen clamasse Christus dicitur, cum non debuit clamare Esaie 42. v. 2. Sed hoc tamen in loco, ut clamore aures auditorum excitaret, & internum excuteret. Non enim otiosum est, inquit Ambrosius serm. 15. in Psalm. 118, quod admoneris ut audias, cum etiam inviti & aliud agentes, sonum tamen aut vocem audire solemus, sed quia non solum est audire hoc, quod suppetit officio nature, sed etiam illud, quod majus est, ut audias non usu tantum corporis, quantum intellectu mentis.

21. Parabolæ interpretatio, ubi notanda est discipulorum percontatio v. 9. In quo

quo causa vel impulsiva in genere: Interrogaverunt autem Eum discipuli ejus. *Ve ostenderent, verorum discipulorum officium esse, quarendum, ut non cognita discantur, cognita retineantur; simulq; ostenditur, non omnes esse veros auditores, quia non omnes interrogaverunt. Marcus addit etiam alios quosdam fuisse, qui circa Christum fuerant, cap. 4. v. 10. Nunquam enim verbi pradi- catio caret fructu suo. Esaiæ 55. v. 10. Nam, qui hodie non persuasi, habet Chrysostomus de Lazaro, concion. 1. cras poterunt per- suaderi; quod si minus cras, attamen perendie.*

22. In specie: dicentes: quæ est parabola hæc? *Parabolarum enim natura est, ut intellecta illustrent, non intellecta obscurent. Quæ nos monent: opportunitatem interro- gationis expectandam esse, habet Chrysost. Homil. 46. in Matthæum. Non enim co- ram omnibus id faciunt, quod Matthæus uno verbo designavit: & accedentes.*

23. Christi informatio, respectu di- scipulorum, quorum commendatio v. 10. In quo ex comparatis respectu ipsorum ab u- tili commendat, dum inquit: Vobis datum est nosse mysteria Regni DEI. *Cum enim discipuli solliciti essent de explicatione, non*

qui

quidem casu, non merito, non ex necessitate, sed ex gratiâ, ut reveletur in ipsorum animis, quid contineatur sub mysteriis, non quidem quasi essent exclusi ceteri, sed quia semet ipsos excluderant, dum non interrogant. Apud Marcum quippe habetur, non solos Apostolos quasivisse, sed & alios. Ita non soli Apostoli hoc loco intelliguntur, sed omnes quærentes.

24. De aliis à contrario, cujus forma: Cæteris in parabolis. Quia parabolas tantum audierunt, & sibi eas sufficere præsumpserunt: illud est ad misericordiam, inquit Prosper Aquitanicus lib. 1. c. 24. de vocatione gentium hoc ad justitiam, respectu voluntatis consequentis, non propter absolutum decretum, sed propter contemptum, ob justam oscitantia pœnam, quia discedebant, & explanationem non quærebant: unde dicuntur apud Marcum ἐξω, qui foris sunt.

25. Et sequela seu eventus: ut videntes non videant, audientes non intelligant. Conjunctio autem ὅτι, sæpissimè ita usurpatur, quemadmodum etiam Esaiæ 6. v. 10. Unde petita sunt ista verba, clarè probatur, respicitq; per verbum στυβέου non rudes, sed Phariseos, veritatis hostes, qui indurati nolue-

luerunt credere. Matth. 13. v. 37. Esaiæ c. 10.
vers. 10.

26. Et Parabolæ explicatio, partim quo-
ad semen & est ad verbum DEI applica-
tio. vers. 11. In quo in genere: Est autem
hæc parabola: ut ostendat, se non de alia re
loqui, sed de ea ipsa, quam proposuerat.

27. In specie: Semē est verbū DEI, sed semē
in corruptibile. 1. Petr. 1. v. 33. Comparatur
autem semini propter 1. exilitatem: Semen
enim plerunq; tale, scilicet verbū Dei opinione
sapientum, hoc in seculo stultitia est. 1. Cor. 1.
v. 18. 2. propter utilitatem; nam uti omnis
virtus est in semine, ita etiam verbum DEI
est potentia ad salutem omni credenti ad Ro-
man. 1. v. 16. Est enim salutis organon efficax,
ut ostendunt eius effecta, & probant exem-
pla, propter institutionem divinam ministe-
rialiter. Verbo enim, habet Bernhard. serm.
85. super Cantic. anima consentit ad corre-
ctionem; illuminatur ad cognitionem, inniti-
tur ad virtutem, reformatur ad sapientiam,
conformatur ad decorem, maritatur ad fec-
unditatem, fruitur ad iucunditatem. Et ve-
rè est tale organon, non significat tantum:
neq; enim tropi sunt in copula, sed vel in Pra-
dicato, vel in Subjecto. Ut discamus verbum
DEI aestimare.

28. Quo-

28. Quoad agrum, qui vel malus simpliciter, ubi est conculcatio v. 12. In quo formatione Subjecti, qui autem juxta viam, nempe semen excipiunt, uti suppleendum est ex Matth. 13. v. 9.

29. Ratione Prædicati: sunt audientes. Ut innuatur, per agrum intelligi auditores, ob connexionem videlicet cum semine, ac velut transformationem. Per ipsum enim semen CHRISTUS in nobis formatur, ac nos rursus juxta CHRISTVM formamur. Ob hanc quoque causam semen jacitur ut hominem sibi assimilaret: & idcirco, postquam principio seminari verbum dixisset, subjecit hoc: Hic est qui secus viam, inquit Isidorus Peliolita lib. 3. cap. 107.

30. Et causa, tum efficiens & ratione accessus: deinde venit Diabolus. Variis quidem modis, uti Rodolphus Ardenses explanat, per cogitationem luxuria, per spiritum avaritia & superbia: quae vitia sunt satellites Satanae, habet Ambrosius, in c. 7. Epist. ad Romanos. Quis enim pertinens ad Christum, addit Augustin. in Psalm. 62. non variis tentationibus agitatur, ut quotidie cum illo agat Diabolus, & Angeli ejus, quò pervertatur qualibet cupiditate, qualibet suggestio-

ne; aut promissione lucri, vel terrore damni,
vel promissione vite, vel terrore motus, aut
alicujus potentia inimicitis.

31. Respectu effectus: & tollit verbum
de corde eorum. Ipse enim est qui suggerit
uti malas cogitationes, ita ipse est, qui dirigit,
ubi ipsi permittitur, actiones, potissimum, ubi
negligentes invenit. Sunt enim qui in via, ta-
les, & qui extra Christum, quorum cor simi-
le est communi diversorio, quod omne genus
hominum, sive notos, sive ignotos, sive bonos,
sive malos, admittit; dum propterea verbum
& Sacramenta in via malitie conculcant, &
Diabolus ceu corvus advolat, illudq; quod
adhuc seminatum est, tollit, impediendo, cor-
rumpendo.

32. Causa finalis: ne credentes serven-
tur; Cum enim ipse perditus, unã vult quò
pereant omnes.

33. Secundùm quid, quoad petrosam
terram est seminis non radicatio, in quo
subjectum: Qui supra petram. Alterum
genus hominum quod quidem videtur fir-
mum & bonum, sed ineptum est ad feren-
dum fructum.

34. Et Effectum ratione antecedentis:
Qui cum audierunt cum gaudio suscipiunt

verbum, & lato atq; alacri animo divinam
 predicationem excipiunt, habet Isidorus
 Pelusiota lib. 2. Epist. 3.

35. Quoad consequens in genere; Et
 hi radicem non habent. Propter duritiem
 cordis. Neq; enim queritur in Christianis ini-
 tium, sed finis, habet Hieron. ad Furiam
 Juda laudatur exordium, sed finis proditione
 damnatur. Et parum est aliquid adipisci pos-
 se, plus est, quod adeptum est, posse servare,
 Cyprian. lib. 1. Epist. 5. Nec statim consecu-
 tio, sed consummatio hominem Deo servat.

36. In specie ab accidente, tum: Qui
 ad tempus credunt: Vnde νεόκρυποι apud
 Marcum dicuntur. Et ita stultus ut Luna
 mutatur, teste Ambrosio lib. 1. Epist. 3. ad
 Simplicium, sapiens verò idem est animo.
 Bene verò inchoare & malè finem concludere,
 quid aliud est, quàm res monstrosas conficere?
 Illa enim actio quasi Chimera est, que initi-
 um habet à ratione, sed finem à sensualitate,
 habet August. serm. 8. ad Fratres in Eremo.

37. Tum: in tempore tentationis absi-
 stunt. Dum vel juxta Marcum offenduntur,
 vel juxta textum nostrum, planè deficiunt;
 Sunt q; omnes inconstantes, omnes Hypocritæ
 & Eceboli, quales fuerunt subditi Nebucad-
 nesaris

mesaris & Darii Dan. 3. & 6. & Pseudo Apostoli, 1. Timoth. 1. v. 20. At spes nostra omnes in consummatione & sine consistunt. Quid mihi profunt, si mihi sata viridantia spes messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore subitâ vel aëris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant, habet Eusebius Emisenus ad Monachos Hom. 5.

38. Terræ spinosæ: & est seminis suffocatio v. 14. In quò tùm Subjectum: Quod autem inter spinas cadens. Nam & ea reperiuntur in agris, & est tertium genus hominum,

39. Tùm accidens, quoad causam vel curiosam, & sunt tùm: qui sollicitudinibus. Quæ, quant'operè officiant, Augustinus testatur ubi inquit: Quid pejus solitudine vitæ, quæ pervenire non permittit ad vitam, in serm. 47. de sanctis. Non quidem quasi omnes sollicitudines sint mala, cum alia sint officii, quæ omninò necessaria, sed sollicitudines, quæ circa divitias & voluptates. Unde etiam per ἐν δαδύο interpretantur, ac si sollicitudines hîc in genere ponantur, & respiciant divitias & voluptates. Inde Chrysoptom, Homil. 23. in Johannem conjungit, sed cum aliis Matt. 6, 25. etiam nimie prohibeantur so-

Da

lici-

licitudines, per se quoque nocere solent; cum
ne capillum capitis mutare valeant, verlu 36.
40. Tūm: qui divitiis. Sunt enim spina, qua
cogitationum suarum punctiōibus mentem
lacerant. Quis enim unquam sollicitus de
mundo, potuit esse sollicitus de Christo? Quis
dum lucris domus suae providet, utilitatibus
Ecclesiae potuit providere? quærit Ambros.
serm. 73. Et quemadmodum spina steriles
sunt, ita & divitiæ. Quemadmodum illæ,
qui tangunt, lacerant, ita harum cupiditas;
Quemadmodum igni facile comprehendun-
tur, & odio habentur agricolis; ita hujus se-
culi negotia. Postremo ut inter spinas ferae,
viperae, scorpia delitescunt; ita & in fraudibus
divitiarum. ait Chrysostomus Homil. 23.
in Johannem. Impedimenta itaque sunt, non
adjumenta; onera, non subsidia. Vnde fallaces
Marcus appellat. Bona quidem & putantur
& appellantur; at per hoc fallunt homines,
nomine presentium bonorum, cum sint causa
sape eternorum malorum, habet Salvianus
lib. 2. contra avaritiam. Lubrica est illarum
possessio, dum huc atque illuc circumferuntur
& instabili gradu vel habentes deferunt, vel
non habentes refarciunt, inquit Hieronymus
lib. 2. Homil. 13. in Matth.

41. Vel jucundam: & voluptatibus vi-
 ez. *Qua alias concupiscentia carnis, concu-
 piscencia oculorum & vite superbia vocan-
 tur in 1. Joh. 2. v. 15. Sed quid stultius illis?
 Voluptas ante congressum conspicua est rabies,
 in ea haec dubius furor, post eam furoris po-
 tius levatio, quam voluptatis fructus, inquit
 Isidorus lib. 1. Epist. 220. Quid fallacius?
 per transitoriam dulcedinem, preparant sem-
 piternam amaritudinem. inquit Augustinus
 serm. 55. Tom. 10. de Tempore. Quid il-
 lis turpius? Delicia enim, inquit Chryso-
 Homil. 71. ad popul. Antioch. ex homini-
 bus porcos efficiunt, & porcis deteriores, ut su-
 um instar in caeno & stercore pascantur.
 Quid vanius? inquit Chryso-
 stomus 1. pa-
 rænesi ad Theodosium Lapsam: Centum,
 si placet, annos demus deliciis; adde & alios
 centum; verum quid hi sunt ad secula inter-
 minabilia? Quid nocentius? Voluptas pec-
 cati mater est, habet Basilus Homil. 13. ad
 Sanctum Baptis. Peccatum stimulus est mor-
 tis: Voluptas nutrix aeterni vermis. Cum ta-
 men etiam iudice Cicerone dignus non sit
 nomine hominis, qui unum diem totum voluit
 esse in voluptate.*

42. Partim ab effectu positivo: suffo-
 cantur.

cantur. Non quidem quod sollicitudo faciat, unde nō vel divitiæ vel voluptas ipsa: sed suffocantur spiritus, in iis, qui crescere permittunt. Potest enim, dummodo velis, pernicioſa hæc germina sentium incidere: ac divitiis laudabiliter uti. Ideo nec seculum dixit, sed solitudinem seculi; nec divitias, sed divitiarum fraudem. Non ergo rebus causam, sed menti corruptæ atq; animo attribuamus: Possumus enim ita ditari, ut non decipiamur, Et in seculo hoc ita versari, ut harum rerum curis non submergamur, ait Chryſostom. Homil. 46. in Matthæum. Ideoq; solitudines usurpanda, uti divitiæ & voluptates, sed non ita amanda ut suffocent.

43. Privativo: & non referunt fructum; nempe desideratum & salutarem. Ut benè estimemus, quomodo solitudines, divitiæ & voluptates sint admittenda.

44. De terra bona, est seminis fructificatio. v. 15. In quo subjectum: Quod autem in pulchram terram. Vbi in Græco habetur Dativus, quod in pulchra terra per Enallagen, aut potius proprie: Quia non tantum respicitur semen, sed etiam ager, in quem seminatum semen iam fructificat.

45. Et effectum, quoad antecedens in
genc-

393

genere : Hi sunt. Ubi articulus quasi demonstrat quartum genus auditorum. Ut discamus cetera genera non probari, hoc ipsum vero commendari.

46. In specie. quoad antecedens, summam ratione objecti : In corde pulchro & bono. Ut ostendatur conditio, sine qua verbum DEI non utiliter excipitur; non quasi causa sit, cum homo ex se nihil possit : in nostra siquidem non est facultate, sed interim tamen voluntarium est, ut habet Chrysoft. Homil. 17. in Johannem. Ut sit non ut meritum, sed uti organon atq; medium ordinarium, sicut etiam per fidem iustificamur, tanquam per instrumentum; DEUS enim confert mediate salutem. Idem Hom. 51. ad popul. Quemadmodum, si quis vulnus habens, & super - imponens medicamentum, non diligenter alligaverit, sed & aquam & pulverem & squalorem, & alia mille vulnus suum atterere valentia permiserit incidere, quicquam amplius ab eo poterit effici : Sed non propter medicaminum infirmitatem, sed propter proprium corporem. Ita ergo cor pulchrum & bonum requiritur, per Deum verbo preparatum.

47. Explicatim : audientes verbum retinent. Tria enim sunt auditoribus necessa-

ria: *Voluntas audiendi, studium intelligendi, & diligentia retinendi, secundum Bernhard. serm. 2. in Festo Petri Pauli. Quia, uti verbum Dei primarium organon, per quod Deo placuit homines salvos facere, Rom. 1. v. 16. I. Cor. 1. v. 21. Ita illud ut radices agat, retinendum est & conservandum in corde bono & honesto.*

48. *Consequens: & fructum afferunt in patientia. Propterea enim seminatur: nempe inibi fructus poenitentiae. Matth. 3. 2. Fructus Spiritus. Gal. 5. 22. Fructus iustitiae. Phil. 1. v. 11. & addit Theophylactus in Lucam: Considera diligentiam Evangelistae quomodo dixerit de istis qui salvantur, quod auditum sermonem retineant: hoc enim dixit propter eos, qui per viam intelliguntur: hi enim non retinent, sed Diabolus tollit ab eis sermonem; & quod fructum afferant dixit propter eos, qui suffocantur & qui non perdurant usque ad finem illi enim fructum non afferunt, qui non perseverant ad finem. Porro quod dixit per patientiam, dixit propter eos, qui quidem suscipiunt sermonem, non sustinent autem tentationis insidias, & comprobantur reprobi. Adde quod Cyprianus habet serm. 3. de bono patientia, tolerandum & perseverandum est, usque ad spem veritatis & libertatis admissi, ad liber-*

bertatem & veritatem ipsam pervenire possimus; quia hoc ipsum quod Christiani sumus, fidei & spei res est: Ut autem fides & spes ad fructum possint pervenire, patientiâ opus est. Quia qui humiliter flagella suscipiunt, ad requiem sublimiter suscipiuntur, habet Gregor. Sic uva calcibus tunditur, & in vini liquorem liquatur; Sic oliva contusionibus expressa, amurcam suam deserit & in olei liquorem pinguescit; sic per trituram area à paleis grana separantur, & ad horrenum purgata perveniunt. Quisquis ergo appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suae flagella tolerare: ut tanto post ad iudicem mundior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis tribulationum purgat.

NOTÆ

Jesus ad turbam dixit: exiit homo.) Considera paternam Christi curam, qui simplices paternè informat; ut discas similiter.

Aliud cecidit.) Cōsidera semen bonum in agrum cordis injectum redditur infructuosum, si negligas, si deficias, si supprimas; ut discas negligentiam, inconstantiam, & in divitiis & voluptatibus curam vitare.

Aliud cecidit in terram bonam,) Cōsidera semen fructum facere, si retineat patienter; ut discas habere patientiam.

C A.

CASUS,

An quis debeat docere, ubi videt maximam partem frustra fieri?


Non videtur. 1. quia margarita non proicienda porcis Matth. 7, 6. 2. Beneficia invitis non dantur. l. 69. ff. de R. J. nec debent obtrudi. 3. Abusus si major quam usus, res ipsa debet intermitteri, quia quæ ad certum usum destinata, ad illum & non alium debent converti. Clem. quia. de religios. dom.

Contra Textus est manifestus, ex Evangelio: quem incertum sit, licet non hâc hora quis proficiat, potest fieri ut aliâ. Vocat Christus distinctis horis operarios. Ex Saule factus Paulus. 2. Utile non vitatur per inutile. c. inutile de R. J. in 6. l. 2. §. sed et si ff. de V. O. 3. Negligenter si eâ, quæ male usurpatur, omissimus, excessus viam aliis aperimus. c. pervenit distinct. 93. Inde nemo negligens esse debet in officio suo l. cum plures §. nimium est ff. de administ. & peric. tuos.

Ad contraria argumeta 1. si omnes, sint porci. 2. si constet certo. 3. non dantur invitis beneficia in rebus mundanis facile. 4. si omnino merus abusus. Aliàs non desinendum, sed pergendum, & DEO omne committendum; dum

Paulus plantat, Apollo rigat, DEUS
dat incrementum,

1. Cor. 4, 5.



Spes alit ipsa viros dum sulcis femina
credunt,

Fallit at eventus sepius ipsa suo.

Id docet in quadruplo distinctim semine Chri-
stus,

In quibus, ut fallat spes bona saepe, monet.

Scilicet ex aulis, ex urbibus omnibus esset,

Plurima quando cohors, talia voce tulit:

Exiit ut quidam sua semina credere terra:

Credidit, in varios adest ea lapsa locos.

Pars etenim cecidit, seritur qua, lata viarum

Est conkrita sed hac, ac avis esca fuit.

Pars supra petram cecidit, qua crescit: at ipsa

Arescit, quoniam fertilis humor abest.

Et pars in dumeta cadit, sed & ista virescit,

Verum suffocant semina creta vepres.

Pars postrema bonam terram nanciscitur,

ista

Centuplicis fructus semina foeta refert.

Hac ubi pratulerat, clamabat voce sonora:

Aures cui sunt, audiat ille modo.

Hinc quum discipuli pars optima quaerit, in istis

Quid lateat verbis, quidve notare velit,

His retulit: Quoniam verbi mysteria vobis

Nosse datum: reliquos omnia jure latent.

Ev-

Ergò notate! DEI monstratur semine verbum:
Est auditor ager; cuncta notate benè.
Is via, cui sata verba rapit de pectore Dæmon.
Ne credat, regnum possideat vé D E I.
Is petra, qui primùm gaudenti percipit aure:
Astradice caret, deficit inq̄ malis.
Is dumus, qui perceptum suffocat acanthis
Curarum, fructu namq̄ carere solet.
Sed bonà terra capit qui verbum, quiq̄, fidei
Pectore conservat, fertilis estq̄ boni.
Quot via, quot petra, quot paliuri semina
pdunt!

Ah nos, Christe, bono da fore semen agro!
HOFFMANNUS repetit modo talia: p̄gat atldē!
Spes est ut fructus colligat Aula D E I.
Ita testatur & optat GUEINZIUS.

Εἰς αὐλὴν καθάπερ θνητοὶ παμπούκι-
λοὶ εἰσι

ἕτως ἀνθρώπων ἤτορα δαίδαλεα.
Ταῦτ' εὐαγγελίᾳ Χριστοῦ λόγος ὡδ' ἀπο-
φαίνει.

Εὐτε λόγον ρύεται τέτρατον ἔνθα μέρος.
Τὸτο ἀπαιτίζει ΟΨΜΑΝΝΟΣ, φίλτατ' ὁ
ἡμῶν

Σπένδει! ὅπως ἐν ὄροῖς αὐλικὸς ἔμμεν ἔχει.

Φιλίας ἕνεκα adposuit
Johannes Christianus Gueinzius
Hab.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017



EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TIARUM
ELICARVM

Decima quinta.

ESIDE

O GUEINZIO

asii Salani

ctore

ndente

HOFFMANN

ergâ Misnico

Sexagesima.

cl. lxxviii.

SAXONUM

n Melchioris Oel-

legely